

DISSERTATIO II.

De principiis Actuum humanorum externis.

PRINCIPIA actuum humanorum externa, ea dicuntur quæ extra hominem sunt posita. Duo recensentur, nimirum *finale* & *dirigens*: prius nihil aliud quam finis propter quem fiunt actus humani; posterius verò est lex ipsa quæ, tanquam luce, in suis actibus homo dirigitur. Cùm de Legibus speciali in Tractatu dicturi simus, de fine tantummodò, & quidem breviter, hic agemus.

CAPUT UNICUM.

De fine Actuum humanorum.

DUPLEX erit hujus capituli articulus; 1^o. enim cùm homines ita sint à natura comparati, ut in iis quæ agunt beatitudinem, tanquam finem ultimum, quærant, de ea differemus; 2^o. cùm non aliud esse debeat finis ultimus hominis, quam ipse Deus, agemus de officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum referre, tanquam ad finem ultimum.

ARTICULUS PRIMUS.

De hominis beatitudine.

Duplex distinguitur beatitudo, *objectiva* nimirum & *formalis*. Beatitudinis *objectiva* nomine intelligitur ipsum objectum cujus possessio beare hominem potest. Beatitudo autem *formalis* apud Scholasticos est ratio sive modus specialis, quo possessum beatitudinis objectum felicissimos nos facit. De utraque quidquid præcipuum erit, quod quidem satis breve est, tribus in paragraphis exponemus: in 1^o. de beatitudine tùm *objectiva*, tùm *formali*; in 2^o. de anima beata; in 3^o. de corporis beati dotibus fermo erit.

PARAGRAPHUS I.

De beatitudine tùm objectiva tùm formali.

Beatitudinis nomine, non Philosophi tantum & Theologi, sed & imperiti eum statim intelligunt, qui mentem omnino expleat; de vero autem beatitudinis objecto tanta fuit Gentilium discordia, ut 282 opiniones ea de re discrepantes post Varronem numeret Augustinus, *Lib. 15. de civitate Dei, cap. 2.* Adèò verum est quod ait Seneca, *vivere omnes beatè velle; sed ad pervidendum quid sit quod beatam vitam efficiat; caligare?* (*Lib. de vita beata.*)

PROPOSITIO I.

Homo non potest in seipso veram beatitudinem invenire.

Prob. ex hominis misera in terris conditione: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* (*Job. 14. 1.*) *Editus est in*

vitam, ait Tullius, corpore nudo, fragili ac infirmo, animo anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libidines. (Lib. 3. de Republ.) Atqui luctuosus ille status cum vera felicitate sociari non potest. Hinc hominem, non in se, sed extra se, beatitudinem quærere sibi conscius quisque est.

PROPOSITIO II.

Beatitudo hominis objectiva in bonis creatis non sita est.

Prob. Si bona creata possent facere hominem verè beatum, maximè vel honores, vel divitiæ, vel voluptates, vel saltem virtus: atqui nihil horum dici potest. 1º. Quidem non honores & dignitates: quod enim fluxum est & caducum, probis & improbis commune, immeritò diceretur vera hominis felicitas: atqui ita se habent honores & dignitates. *Vidi*, inquit Psaltes Regius, *impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; quasi vidi eum, & non est inventus locus ejus.* (Psal. 36. v. 35. & 36.) *Rex hodiè est, & cras morietur.* (Eccli. 10. 12.) Ergo, &c.

2º. Nec divitiæ; tum quia cum labore comparantur, cum timore & sollicitudine conservantur, cum dolore amittuntur; tum quia cupiditatem irritant, non explent: *Avarus enim non implebitur pecuniâ;* (Eccl. 5. v. 9.) tum quia iis sæpè affluunt improbi: *Promptuaria eorum plena, erudantia ex hoc in illud, oves eorum fatosæ, ... boves eorum crassæ.* (Psal. 143. v. 13 & 14.) Ergo, &c.

3º. Nec voluptates: sunt enim fluxæ, præcipientes, instabiles, vel quatruiduanæ febris igniculo evanescunt; ipsas consequuntur anxietas, dolor, tristitia, conscientia stimuli; vires corporis atterunt, multiplex morborum genus invêhunt; hinc ita monet ethnicus poëta: *Sperne voluptates, nocet empty dolore voluptas.* Ergo 3º. &c.

4º. Nec ipsa virtus vitam ex omni parte beatam efficit; siquidem homines nec morbis, nec doloribus, nec paupertate, aliisque miseriis eximit: quæ omnia cum vera felicitate pugnant. Hinc Apostolos, licet omni virtutum genere conspicuos, ita vexabant hujus vitæ incommoda, ut *eos tæderet vivere.* (2. Cor. 1. v. 8.) Virtus ergo via quidem est quâ pervenitur ad summam felicitatem, sed ipsa non est summum hominis bonum; in bonis igitur creatis nequicquam vera hominis felicitas quæreretur. Hinc Salomon, licet in eum confluxissent omnia tum animi, tum corporis, tum fortunæ bona, statim ab operibus sui limine, in istas voces erumpit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (Eccl. 1. v. 2.)

PROPOSITIO III.

Deus solus est objectiva hominis beatitudo, sive summum bonum.

Probatur. Ille solus est summum hominis bonum, qui solus potest omnes illius facultates explere: atqui talis est Deus, & quidem solus. Facultates enim hominis revocantur ad intellectum qui veri cognitionem, & ad voluntatem quæ boni possessionem prosequitur; atqui solus Deus potest utramque hanc facultatem explere: nam Deus solus est summa veritas, & summa bonitas: atqui Deus solus, quatenus est summa veritas, potest intellectus verum inquirentis appetitum exhaurire; quatenus autem est summa bonitas, potest immensa voluntatis bonum prosequentis desideria satiare; ergo, &c.

Hinc S. Augustinus Deum sic alloquitur: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (Lib. 1. confess. cap. 1.) *Non facit beatum hominem, ait idem Doctor, nisi qui fecit hominem.* (Epist. 155. n. 2. tom. 2. pag. 536.) Hinc etiam præclara illa S. Bernardi sententia:

Animam Dei capacem, quidquid Deo minus est, non implebit. (Tom. 1. pag. 1572. edit. BB.)

Objectiones quibus impugnatur hæc propositio prætermittimus; tùm quia levissimæ sunt, tùm quia in Philosophia morali proponi solent. Nunc de beatitudine *formali* aliquid raptim delibandum est.

Beatitudo *formalis*, ut jam diximus, est ratio specialis quâ summi boni possessio beatos nos efficit. Qua de re multùm discrepant Theologorum scholasticorum opiniones. Thomistæ eam in Dei *visione intuitiva*; Scotistæ in amore quo voluntas in Deo, tanquam in summo & immutabili bono, suavissimè conquescit; nonnulli demùm in gaudio quod ex Dei visione seu cognitione *intuitiva*, & amore perfecto profluit: at sterilis prorsus videtur hæc quæstio, nec dirimi potest. Legimus quidem in Scripturis fore ut Deum in altera vita *intuitivè* videant Beati, & perfectissimè diligant, ineffabilique gaudio perfundantur; verùm an visio sola, an amor solus, an gaudium solum, *formalem* hominis beatitudinem constituat, ex Scripturis definiri non potest, quia ea de re omninò silent. Præterea, ut certò nobis constaret in qua mentis affectione sita sit beatitudinis ratio *formalis*, ipsa requireretur experientia quæ nobis in hac vita deest; multò igitur satius est ad suavissimam hanc felicitatis possessionem votis flagrantissimis aspirare, quàm curiosus & subtilis inquirere in quo reponenda sit ipsius ratio specialis.

PARAGRAPHUS II.

De animæ beatæ dotibus.

Duæ sunt potissimum animæ beatæ dotes in eo sitæ, quòd nec à beatitudine semel comparatâ excidere, nec peccare unquam possit.

PROBATIO I.

Æterna erit Sanctorum beatitudo.

Prob. *Iusti in perpetuum vivent.* (Sap. 5. 16.) *Ibunt hi (maledicti) in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* (Matth. 25. 46.) Apostolos sic alloquitur Christus: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* (Joan. 16. 22.) In Scripturis beatitudo cælestis designatur per *hereditatem incorruptibilem, incontaminatam & immarcescibilem*: (1. Petr. 1. 4.) atqui singula hæc Scripturæ loca Beatis æternam felicitatem disertè asserunt. Eandem veritatem passim apud SS. Patres reperias: *Mors*, inquit S. Cyprianus, (*Martyribus*) *infertur; sed immortalitas sequitur: . . . vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur.* (Epist. ad Fortunat. de exhort. Martyr. cap. 12.) S. Augustinus, *Tunc*, inquit, *plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas.* (Lib. 22. de civit. Dei cap. 30. n. 1. tom. 7. pag. 700.) Id etiam testatur fidei nostræ Symbolum quo profitemur nos expectare *vitam æternam*.

Præterea huiusmodi esse debet summa beatitudo, ut omne desiderium expleat, omnemque anxietatem & sollicitudinem excludat, quæ cum perfecta felicitate pugnant: atqui talis esse non potest beatitudo, nisi perpetua sit: alioqui sollicitus illius amittendæ metus Sanctos exagigaret, & miseros efficeret.

Quæres an Sanctorum beatitudo sit inæqualis.

Resp. Ita sanè: illud enim contrà Jovinianum definitum est, qui ut æqualia peccata, sic & æqualia merita, idèdque parem omninò esse mercedem contendebat. Quam errorem apertè rejiciunt Scripturæ: *In domo Patris mei*, inquit Christus, *mansiones multæ sunt.* (Joan. 14. 2.) Undè Tertullianus: *Quomodò multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?* (In Scorpiaco, cap. 6.)

pag. 492.) *Unusquisque*, ait Apostolus, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* (1. Cor. 3. 8.) Atqui si merces in cœlis rependenda, labori respondere debeat, inæqualis sanè est Sanctorum beatitudo. Idem Apostolus, ut pro variis meritis disparem fore justorum gloriam significet, duas adhibet comparationes: *Alia*, inquit, *claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; . . . sic & resurrectio mortuorum.* (Ibid. cap. 15. v. 41 & 42.) *Qui parèe seminat, parèe & metet.* (2. Cor. 9. 6.) Hinc S. Polycarpus iudicem supplicia sibi comminantem alloquens, *Merita mea*, inquit, *doloris astimatione pensabo; quanto graviora pertulero, tanto majora præmia percipiam.*

PROPOSITIO II.

Beati peccare non possunt.

Prob. 1^o. ex SS. Patribus: *Post resurrectionem*, ait S. Augustinus, *facto universo completoque iudicio, suos fines habebunt civitates duæ, . . . una bonorum, altera malorum; . . . istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi.* (Enchir. cap. 3.) Porro ii peccare nequeunt quibus nulla esse potest peccandi voluntas: atqui ex S. Augustino, Beatis nulla esse potest peccandi voluntas; ergo, &c. S. Fulgentius, *Firmissimè tene*, inquit, *non jam posse quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, quâ Deo stabiliter perfruuntur, ut eâ carere non possint.* (Lib. de fide ad Petrum, cap. 23. n. 64.) Itaque juxta S. Doctorem, ideò Angeli non possunt in deterius commutari, nec proinde peccare, quia æternâ beatitudine donati, Deo stabiliter perfruuntur: atqui eadem est hominum beatorum conditio; ergo pariter nequeunt peccare.

Prob. 1^o. Nemo peccat, etiam *venialiter*, quin à Deo aliquantulum deflectat & avertatur: atqui Beatorum animæ ita necessariò Deum amant, illi-

que tam immobiliter & indivulsè adhærent, ut ab eo nullo modo deflectere & sese avertere possint: quia scilicet summum bonum à Beatis possessum, omnem ipsorum appetitum ita explet, fatiat & exhaurit, ut quidquam aliud desiderare nequeant. Per *intuitivam* enim summæ veritatis cognitionem, & amorem summi boni *fruitivum*, plene & perfectè sistitur omnis tum intellectus, tum voluntatis motus; ergo, &c.

PARAGRAPHUS III.

De corporis beati dotibus.

Quanquam ad solos animos propriè loquendo pertineat beatitudo, *Deus* tamen *qui dives est in misericordia*, (Ephes. 2. 4.) statuit ut corpus, quia laborum animæ particeps fuit, suas etiam in præmio partes habiturum esset; idcirco corporis beati dotes raptim attingemus. Cum autem corporum resurrectionem supponant, eam in antecessum adstruere necesse est.

PROPOSITIO.

Corpora mortuorum aliquando resurgent.

ARG. I. *Ex Libro Job.*

Rursùm, inquit Job, *circumdabor pelle meâ, in carne meâ videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciantur mihi, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo:* (cap. 19. v. 26 & 27.) atqui ex eo textu certum deducitur argumentum in gratiam resurrectionis corporum. Quod ut assequamur, duo sunt contrà Socinianos stabilienda: primum persuasum habuisse Job mortuos aliquando è tumulo excitandos esse, alteramque fore vitam in qua sua bonis merces & pœna malis rependeretur; secundum, eum ibi non loqui de temporali in priorem statum restitutione,

Prob. 1^a. pars, nempe Job infixam animo habuisse resurrexionis & alterius vitæ fidem. Id enim ex plurimis operis sui locis apertè colligitur. Testatur spem quam in Deo collocaverat, non ipsi auferri mortis metu, quam proximam esse denuntiabant vulnera & vermes quibus totum corpus scatebat: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, . . . & ipse erit salvator meus.* (cap. 13. v. 15 & 16.) Hæc autem spes suam post mortem effectum habitura, quid aliud esse poterat quàm certa mercedis expectatio in altera vitâ iustorum laboribus destinata?

Agnoscit supremum Dei tribunal ad quod vocatur homo, post brevem hanc vitam judicabitur: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, . . . fugit velut umbra . . . & dignum ducis . . . adducere eum tecum in iudicium;* vel juxta doctissimi Houbigant interpretationem: *Tu tamen cum eo in iudicium es venturus.* (cap. 14. v. 1. 2. 3.) Docet hominem non esse à tumultu excitandum, nisi post orbis universi ruinam: *Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum;* (ibid. v. 12.) sic etiam pergit: *Tamesi moritur homo, tamen reviviscet.* (Ibid. v. 14. Houbigant.)

Hæc alterius vitæ & mercedis sibi rependendæ fides ipsius animo ita hærebat, ut eam ne in ipso quidem tumultu extinguendam esse profiteatur: *Ea spes mecum in pulvere descendet, mecum in pulvere requiescet;* (cap. 17. v. 17. Houbigant.) id est, spem meam non abiciam, vel sepultus, spem nimirum futuræ vitæ ac immortalitatis.

Ex iis porrò locis & aliis plurimis quæ præmittimus, manifestum est sanctum Job mortuorum resurrectionem, & alteram fore vitam firmiter credidisse, in qua sua virtuti merces & vitio pœna erit.

Prob. 2^a. pars, nempe Job in loco quem in resurrectionis argumentum protulimus, non alludere ad suam in priorem statum restitutionem, nec

aliunde quàm à morte imminente malorum quibus opprimitur finem expectare. Ab ipsius mente tam longè aberat ad suam priorem fortunam reditus, ut statim à capite sexto corporis dissolutionem appetat, veluti solum quod à Deo in terris solatium expectabat. *Utinam, inquit, id quod ego desidero eveniat, . . . & quoniam Deus incepit, conterat me, exeret manum suam, & me denique succidat.* (cap. 5. v. 8. Houb.) Nulla ipsi vitæ retinendæ spes affulget; sibi conscius est, mala quibus vexatur eum ad mortem inevitabilem esse perductura. *Nam meæ vires quæ & quales sunt, ut ex iis quidquam expectam, qualisve exitus meus, ut eum esse dilatatum velim? an lapideum robur meum est? an carnis meæ, æneum?* (Ibid. v. 11 & 12. Houb.)

Tot malis conflictatum sese exhibet, ut jamjam moriturus sit, ab omnique recuperandæ prioris conditionis spe exciderit. *Caro mea vermicibus induitur, sordibusque pulverulentis; pellis mea scinditur & putrescit; dies mei verbo velocius transeunt, & absque ulla spe deficiunt; reminiscere auram inanem esse vitam meam, neque oculos meos rursum bona esse conspecturos.* (cap. 7. v. 5. 6 & 7. Houb.)

Multa sunt alia loca ex quibus patet Job tot ærumnis cruciatum, mortem promptissimam præ oculis habuisse, & omnem recuperandæ prioris fortunæ spem abjecisse. Unde sic concludit eruditus Roques, Minister calvinianus: *Qui ne voit dans ces differees passages, un homme qui ne pense plus qu'à la mort, & qui n'attend plus à se revoir dans son premier lustre? Comment donc s'imaginer que, malgré des déclarations si précises, Job témoigne ensuite qu'il ne doute point d'un rétablissement miraculeux, & de se voir de nouveau comblé sur la terre des grâces de son Dieu? Peut-on lui attribuer des sentimens si contradictoires?* (Discours sur la Bible.)

Certum est igitur 1^o. mortuorum resurrectionem sancto viro Job non fuisse incognitam, ut fingunt

Sociniani ; 2^o. eum in loco unde primum argumentum deduximus non alludere adfuturam in pristinum statum restitutionem, cujus nulla spes ipsi supererat ; ergo corporum resurrectionem demonstrant ista Job verba : *Rursùm circumdabor pelle meâ, &c.*

Dices : Si de mortuorum resurrectione dogma tempore Job innotuisset, nonne illud adhibuissent ipsius amici & familiares, ut eum tot malis vexatum solarentur ? Nonne eum commonuissent fore ut, post mortalem hanc vitam, Deus constantem ejus patientiam largè remuneraret ? attamen de mortuorum resurrectione, de altera vita silent omninò, eumque accusant quasi tantas pœnas aliquo scelere vel aperto, vel occulto commeruisset.

Resp. 1^o. Argumentum illud est merè negans, nec luculentis prævalere debet testimoniis, quæ è libro Job suprâ deprompsimus. 2^o. Ejus amicis non illud erat consilii ut eum solarentur, sed tantùm ut causas inquirerent, quæ ipsi tot calamitates accerere potuerant. 3^o. Omnes eorum sermones isto nituntur falso principio, quòd scilicèt Deus hominem tantis cladibus non affligat, nisi gravissimi cujusdam criminis reus fuerit ; id apertè dicit Baldad : *Deus non projicit simplicem, nec porrigit manum malignis.* (cap. 8. v. 20.) Non eò igitur spectabant amici Job, ut solatium ipsi afferrent, alterius vitæ mercedem ejus oculis subjiciendo. Confule dissertationem eruditi Houbigant, libro Job præfixam.

Observatio.

Nonnullis mirum fortè videbitur, quòd in superiori argumento non adhibuerimus ista quæ allegari solent verba Job : *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* (cap. 19. v. 25.) Hujus prætermisionis ea fuit causa, quòd juxta primigenium textum ; verbum *surrecturus* non

non

non ad ipsum Job, sed ad Redemptorem, sive Liberatorem in quo suam spem collocabat, referatur. Sic enim locum hunc vertit doctissimus interpres Houbigant : *Scio Redemptorem meum vivere, & super pulverem esse quondam resurrecturum.*

ARG. II. Ex verbis Apostoli.

Omnes resurgemus, inquit S. Paulus, ... canet tuba, & mortui resurgent incorrupti : (1. Cor. 15. 52.) atqui hæc verba non animæ tantùm immortalitatem, sed corporum etiam resurrectionem significant, ut satis patet.

Præterea sic ratiocinatur : *Si Christus prædicatur, quòd surrexit à mortuis, quomòdò quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est ? .. Nunc autem Christus surrexit primitiæ dormientium.* (Ibid. v. 12 & 20.) Itaque resurrectionem Christi, ut nostræ fundamentum & exemplar exhibet Apostolus : atqui Christus ita resurrexit, ut ipsius anima suo corpori denuò conjuncta fuerit ; Christus enim redivivus Apostolis dubitantibus suum corpus conspiciendum, tangendum & palpandum multoties præbuit, ut legere est Joan. 20. v. 27. - Luc. 24. v. 39. - Act. 1. v. 2. 3. Ergo pariter ita futura est nostra resurrectio, & anima suo corpori denuò sit jungenda. *Propria fides est Christianorum, resurrectio mortuorum, inquit Augustinus ; hanc in seipso ... caput nostrum Christus ostendit, & exemplum fidei nobis præstitit, ut hoc sperent membra in se quod præcessit in capite.* (Sermone 241. n. 1. tom. 5. pag. 1003.)

ARG. III. Ex fidei nostræ Symbolis.

Eadem veritas demonstratur fidei nostræ Symbolis, tum Apostolico : *Credo ... carnis resurrectionem ;* tum Constantinopolitano : *Expecto resurrectionem mortuorum ;* tum Athanasiano : *Ad cujus adventum*
Tom. V. Z

omnes homines resurgere habent cum corporibus suis. Merito itaque sic docet Augustinus: Resurrectionem mortuorum futuram esse in carne... oportet, si Christiani esse voluerint, ut credamus. (Lib. 20. de civit. Dei, cap. 20. n. 3. tom. 7. pag. 599.) Quae in re unanimes sunt ceteri Patres.

ARG. IV. Ex Rationibus Theologicis.

1^o. Si resurrectio mortuorum futura non sit, horum alterutrum admittatur necesse est, nempe Deum vel non posse, vel non velle suscitare mortuos: atqui neutrum dici potest. Non primum: Carnem utique idoneam esse reficere, qui fecit; quantum enim plus est fecisse, quam refecisse! (Tertull. Lib. de resurrect. carnis, cap. 11. pag. 332.) Non secundum; velle enim Deum suscitare mortuos satis constat ex prolatis Scripturae testimoniis, & maxime ex iis verbis quibus Sadduceos refellit Christus: Erratis nescientes Scripturas; in resurrectione enim neque habent, neque nubentur.... De resurrectione mortuorum non legistis? (Matth. 22. v. 29. 30. 31.) Ergo, &c.

2^o. Carnis resurrectio divinae justitiae & sapientiae maxime congruit; tum quia aequum videtur, ut corpus quod ad bona vel mala opera fuit animae instrumentum, ejusdem poenis aut praemiis confocietur: Caro, inquit Tertullianus, dum ministra & famula animae deputatur, consors & cohaeres invenitur; si temporalium, cur non & aeternorum? (Lib. de resurrect. carnis, cap. 7. pag. 330.) tum quia nemo sapiens existimaverit, carnem quae fuit Christi corpore & sanguine nutrita, Deo consecrata, Spiritus Sancti templum, & Christi membrum facta, non alia forte donandam esse, quam jumentorum cadavera.

Solvuntur objecta.

Objiciuntur 1^o, nonnulla Scripturae loca quae

corporum resurrectioni videntur adversari: Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, id est, in sepulcrum. (Psalm. 113. v. 17.) Unus interitus est hominis & jumentorum, & aequa utriusque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. (Eccl. 3. v. 19.)

Resp. 1^o. his verbis Psalmi 113: Non mortui laudabunt te, &c. exprimi mentem orantis Dominum, ut piis hominibus qui tunc paucissimi erant, parcere velit ne iis sublatis, desint qui Deum verum celebrent; sensus est igitur mortuos non posse in terris Deo sacrificium laudis offerre, nec ejus nominis gloriam manifestare coram gentibus impiis, quae tunc tanto numero falsa numina sacrilego cultu prosequabantur.

Resp. 2^o. objectum Ecclesiae locum id unum significare, nempe hujus mundi miseras & aerumnas, moriendique necessitatem homini & belluae esse communes, ex illaque parte similem esse utriusque conditionem; aequalem vero fore ex omni parte hominis & jumentum sortem & interitum, nequaquam docet Ecclesiastes: quinimò contrarium aperte colligitur ex iis quae praemittit verbis: Dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus. (Ibid. v. 17.)

Objiciuntur 2^o. alia Scripturae loca quibus universalis saltem omnium resurrectio excludi videtur: Non resurgent impij in judicio. (Ps. 1. v. 5.) Multi de his qui dormierunt in terra pulvere evigilabunt. (Dan. 12. v. 2.)

Resp. 1^o. ex verbis: non resurgent impij in judicio, nihil inferri posse adversus resurrectionem generalem, quia juxta doctissimos interpretes, & linguae hebraicae peritissimos, qualis est Pater Houbigant, phrasim hebraicam sic vertenda est: Impij non stabunt, id est causam suam sustinere & tueri non poterunt, in judicio; sed jacebunt proftrati; attoniti & elingues.

Resp. 2^o. cum Augustino Prophetam dicere,

multos pro omnibus, (lib. 20. de civit. Dei, c. 23, n. 2. tom. 7. pag. 606.) ut Scripturis satis familiare est; sic, v. g. Apostolus modo *multos*, modo *omnes* dicit ex Adami delicto constitutos esse peccatores. (Rom. 5.) Egregiè notat Sylvius idè prophetam adhibuisse vocem *multi*, quia magis propria & accommodata est ad exhibendam resurgendorum immensam multitudinem, quæ omne genus humanum complectitur; *omnes* enim aliquando pauciores sunt quàm *multi*; ut si decem tantùm discipuli in schola adsint & scribant, *omnes* dicentur scribere, non *multi*.

Quæres 1°. utrùm anima idem corpus sit receptura, quod habuit in terris.

Resp. id fide certum esse: *Oportet*, inquit Apostolus, *corruptibile hoc induere incorruptionem*. (I. Cor. 15. v. 53.) Atqui nisi corpora resurgentium eadem essent, quæ fuerunt in terris, jam non *corruptibile hoc*, sed aliud, indueret *incorruptionem*. Hinc Concilium Lateranense sub Innocentio III. sic definit: *Omnes mortales cum suis corporibus resurgent, quæ nunc gestant*. (Tom. II. Concil. pag. 143.)

Præterea resurrectio Christi, ut jam exposuimus, nostræ quasi typus est & exemplar: atqui Christus è tumulo redivivus, idem numero corpus assumpsit quod vulneratum, crucifixum & in sepulcro positum fuerat, siquidem post suam resurrectionem vulnerum cicatrices exhibuit dubitanti Thomæ, qui discipulis Christum se vidisse testantibus dixerat: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum ... & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. (Joan. 20. 25.) Ergo pariter unusquisque suum idemque numero corpus quod habuit in terris, recepturus est in resurrectione.

Dices: Idem corpus in partes tenuissimas dissipatum, sicque in multorum hominum corpora

transmissum, factum est plurimorum corpus, ac proinde in resurrectione non erit corpus Petri potius quàm Pauli, vel alterius cujuslibet; impossibile est igitur singulos homines cum eadem carne resurgere.

Resp. cum Augustino: *Ecce qualibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas*. (Lib. 22. de civit. Dei, cap. 11.) *Absit autem ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia renovare quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel quod in pulverem cineremque collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum*. (Ibid. cap. 20.)

Præterea in eo falluntur adversarii, quòd sibi signant post resurrectionem corpus non fore alicujus proprium idemque corpus, nisi eam omnem materiam retineat ex qua, dum viveret, constatum erat; quasi verò corpus, mutatâ molis quantitate, desinat esse idem & proprium alicujus personæ corpus? Sit enim aliquis maximè corpulentus & crassissimus, deinde longo detineatur morbo qui sensim corporis molem atterat & absumat: numquid corpus illud sic imminutum, desinet esse ejusdem personæ proprium? Vice versâ, si cujus hominis corpus antea gracile & macilentum, in maximam molem & obesitatem deinde excreverit, numquid idcirco idem propriumque ipsius corpus non erit? Spretis autem humanis ratiunculis, firmiter teneamus illud Augustini: *Non idèò*. (de resurrectione) *inanis est fides nostra, si quemadmodum suura sit perfecte comprehendere non valeamus*. (Lib. 20. de civit. Dei, cap. 20. n. 3. tom. 7. pag. 600.)

Quæres 2°. quænam futuræ sint corporum Beatorum dotes.

Resp. Quatuor numerari solent, videlicet *impasibilitas, claritas, agilitas & subtilitas*. 1°. Quidem

corpus Beatorum erit *impassibile*, id est, nullam corruptionem & partium dissolutionem patietur, ac proinde omnis molestiæ, doloris & incommodi expers erit. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (Apoc. 21. 4.)

2^o. Rediviva Sanctorum corpora splendidâ claritatè fulgebunt: *Iusti fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum.* (Math. 13. 43.) *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* (1. Cor. 15. 43. Christus) *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (Philip. 3. v. 21.)

3^o. Summa erit corporibus Beatorum agilitas, adeò ut possint ad animæ nutum ab uno loco in alium remotissimum brevissimo temporis puncto transferre, sine labore & defatigatione. Hanc dotem exprimere videntur ista Sapientiæ verba: *Fulgebunt Iusti, & tanquam scinulle in arundinetis discurrent.* (Cap. 3. 7.) id est, non minùs celeriter ab uno loco in alium transilient, quàm erratici illi ignes qui arundinetum transcurrunt. Hujus dotis exemplum patuit in corpore Christi, quod sæpiùs Discipulis suis subito conspiciendum præbuit, maximè verò cum è terris in cælum sese extulit.

4^o. Mira erit corporis beati subtilitas juxta illud Apostoli: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* (1. Cor. 15. 44.) Scilicet corpus in hac mortali vita animale est, siquidem eget, ut cetera animalia, cibo, potu, somno, & præterea durum est, crassum, & impenetrabile; post resurrectionem verò, spiritali plurimùm simile, à cibi, potus, somni necessitate solutum erit & expeditum, tantæque tenuitatis, ut alia corpora possit trajicere & pervadere. Nonnulla hujus subtilitatis argumenta dedit Christus post suam resurrectionem, cum, foribus clausis, præsens suis Apostolis subito adfuit.

ARTICULUS I I.

De officio quo tenemur omnes actiones nostras ad Deum, tanquam finem ultimum, referre.

Not. 1^o. in actu humano tria esse accuratè distinguenda, *objectum* nempe, *finem proximum* & *finem ultimum*.

Objectum sive *officium*, est ipsissima operis substantia, seu id quod faciendum est. *Finis* generatim illud est, cujus gratiâ seu propter quod aliquid fit.

Finis proximus ille dicitur quem operans ita intendit, ut in ipso non sistat, sed ulterius tendat.

Finis ultimus iste est ad quem agens suam actionem ita ultimò refert, ut in eo sistat & conquiescat. Sic in homine christiano qui, hausta medicinâ, ita quærit sanitatem, ut ipsam quoque referat ad Dei laudem & gloriam, ipsemet medicinæ haustus est *objectum* sive substantia operis, sanitatis recuperatio est *finis proximus*, Deus autem *finis ultimus*. In eo qui eleemosynam erogans, ita alienæ miseriæ levamen sibi proponit, ut propriam gloriam quærat, erogatio pecuniæ est *objectum* sive *officium* operis; levamen alienæ miseriæ, *finis proximus*; proprius amor, *finis ultimus*.

Not. 2^o. nullum sine fine ultimo esse posse actum humanum. In omni enim actu deliberato quidpiam nobis proponimus, aliquod bonum verum aut apparens prosequimur, in quo voluntas nostra conquiescit, & ultra quod non excurrit. In eo autem sita est ratio finis ultimi.

Not. 3^o. finis ultimi intentionem nihil aliud esse quàm ejusdem propter seipsum amorem. Quid est enim quidpiam tanquam finem ultimum intendere, nisi illud ita prosequi, ut in ipso sistat voluntas, & ultra non sese ferat? Quod profectò nihil aliud est, quàm rem ipsam propter se amare.

Not. 4^o. vel propter Deum, vel propter creaturam, tanquam finem ultimum agimus, cum deliberatè operamur. Deum enim inter & creaturam nihil medii fingi potest; ergo quidquid propter Deum non agitur, in creatura, tanquam sine ultimo, hæreat necesse est.

Hinc S. Leo in animo rationali non alium agnoscit amorem, quàm Dei vel creaturæ: *Duo sunt amores*, inquit, *ex quibus omnes procedunt voluntates* *Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia, in dilectione mundi cuncta sunt noxia.* (Serm. 5. de jejun. septimi mensis, cap. 3. tom. 1. Edit. Quesnel. pag. 357.)

S. Augustinus caritatem accipiens pro quavis Dei propter se dilectione, & cupiditatem pro amore creaturæ sic habet: *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo priùs dixerit; quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris;* (Lib. 9. de Trinit. cap. 7. n. 12. & 13. tom. 8. pag. 884.) ergo vel cupiditate, vel caritate, S. Fulgentius, *Voluntas*, inquit, *... aut in infimo bono necesse est miserabiliter jaceat, aut in summo bono feliciter conquiescat.* (Lib. 1. ad Monimum, cap. 18. Edit. jam laud. pag. 15.)

Not. 5^o. amorem Dei alium esse *habitualem*, sive per modum habitus inhaerentem animæ, & qui justos, Dei amicos, filios & hæredes nos efficit; alium *adualem* qui est actus mentis Deum diligentis. Præterea amor *adualis*, vel est super omnia, cum scilicet Deum impenfius quàm omnes creaturas diligimus; vel non est super omnia, quo, v. g. aliquis aliundè suis cupiditatibus feruens, Deum tamen amat in paupere, cui propter Deum eleemosynam erogat. Porrò dicere requiritam esse caritatem *habitualem* ad faciendum opus ex omni parte bonum, portentum est hæreleos quod in Tractatu de Gratia profigamus. Nec etiam requiritur amor *adualis* Dei dominans,

sive super omnia; at sufficit amor Dei propter se, quamvis nondum sit super omnia, qualis in peccatoribus per gratiam esse potest. Nimirum toties ad Deum tanquam finem ultimum actus dirigitur, quoties agens Deum *virtualiter* saltem amat in actu, etiam si in ceteris actionibus cupiditati ferviat, & sæpè sapiùs ex creaturarum amore agat. His observatis, fit

PROPOSITIO I.

Opera quæ non propter Deum, sed propter creaturam peraguntur, quoad substantiant sive officium, & finem proximum bona esse possunt.

Probatur. Nudum operire, periclitanti subvenire, ægri vulnera fovere, & in præstandis hujusmodi officiis, alienæ miseræ levamen proxime intendere; pudicitiam conjugalem servare, quia fide thori præscribitur; promissis stare, quia id jubet recta ratio; vineas plantare, domos ædificare, ut ex eo labore habeantur vestitus & alimenta: hæc, inquam, omnia totidem sunt opera quoad substantiam & finem proximum bona: atqui illa & alia similia fieri possunt, licet qui ea operantur, non propter Deum, sed propter seipfos, tanquam finem ultimum, agant; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Homo tenetur omnes & singulas actiones deliberatas ad Deum, tanquam finem ultimum, referre ex dilectione Dei saltem inchoatâ.

ARG. I. *Ex mandato omnium maximo.*

Sic jubet Deus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* (Deut. 6. 5.) Idem illud præceptum